

venetos libere relaxentur et expediantur Teneda per eum vel ejus nuncios sumptibus communibus partium predictarum. Qui siquidem dominus comes Sabaudie de eadem insula, castris, burgis et aliis ipsorum pertinentiis per se vel alium, seu alias ejus certos nuntios possit facere, prout sue fuerit voluntatis. Acto tamen et in pactum expressum deducto pariter et convento inter prefatos dominos Sabaudie comitem et ambaxiatóres Januenses, etiam et consensu et conscientia dictorum sindicorum et ambaxiatorum venetorum, quod omnia castra, hedificia, burgos, domus et habitaciones quas-cunque dicte insule quandocunque placuerit dictis domino duci et communitati Janue ipse dominus Sabaudie comes dirui et demoliri a sumo usque ad deorsum totaliter facere teneatur, sumptibus tamen dicti communis Janue, sic etiam et taliter quod nunquam rehedificari nec habitari valeat ipse locus. Quam quidem relaxationem et expeditionem dicte insule Tenedi et omnium predictorum per prefatum dominum ducem et commune Venetiarum eidem domino comiti libere et realiter ut premittitur facere infra tempus predictum solemniter promittunt dicti sindici et procuratores prefati domini ducis et communis Janue sindacario nomine ipsorum recipientibus et facere et observare sub pena florenorum centum quinquaginta millium boni auri et justi ponderis, pro qua pena infra dies quinquaginta proxime venturos promittunt deponere penes unam ex communitatibus Bononie, Florentie, Pisarum et Ancone, vel penes duas ipsarum communitatuni tot jocalia, que extimabuntur valere dicta florenorum centum quinquaginta millia. Que quidem jocalia penes unam vel duas ex dictis communitatibus stare debeant usque ad dictum tempus quo dicta restitutio Tenedi prefato domino Sabaudie comiti fieri debet, ut supra. Et si dicta restitutio infra dictum tempus et terminum facta fuerit, debeant dicta jocalia prefatis domino duci et communi Veneciarum, vel eorum certis nunciis libere et integre restitui atque redi. Si vero infra dictum tempus et terminum dicta relaxatio et expeditio predictorum insule et locorum facta non fuerit, ut profertur, eo casu dicta